GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,


HÆREDITARII in Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALI SAXONICI,
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,

FACVLTATIS MEDICÆ h. t. DECANI

PROPEMTICVM INAVGVRALE

DE

RAMO AVREO VIRGILII II.



IENÆ, Literis CHRISTOPHORI KREBSII.

T Veteres dudum distinguebant probe inter fabulosa & sine velo proposita. Οὐ μῦθος τὰ τρωικὰ, ἀλλ' ἔργα. *Non fabulæ sunt res ad Troiam gestæ, sed facta*, inquiebat *Thessalus, Coi filius epist. Hipp. 27.* Vicissim ergo, quæ mythologica sunt asserta, non proprie intelligenda. Exempli loco sit RAMVS AVREVS VIRGILII, & *Platoni in Timæo*, sub adamantis nomine, laudatus.

Sed ne quid dubii restet, optimum est, vt semper alias, genuinum sensum ex συναφεία textus eruere ac colligere. Optimus interpres verborum quisque suorum. Ipse vero *Plato* disertis verbis velut commentarium addit tacite, & velut in aurem dictat; οὐδὲν, inquit verbis sequentibus, τοιούτων ποικίλον ἔτι διαλογίζεσθαι τὴν τῶν εἰκότων μύθων μεταδιώκοντα ἰδέαν, *nihil horum difficile est cognoscere ac intelligere, qui consuetam ideam fabularum persequitur.*

Mythologice ergo, ænigmatice ac emblematice, auri ramum hunc intelligi vult, ac innuit. Nil aliud hinc fuerit illud densissimum, ac nigricans, quod addit, quam aditu difficile, quam arduum, quam obscurum, re ipsa cum *Poeta* idem asserendo.

Adamas hinc non tam gemma fuerit intelligenda, vnde durities adamantina in prouerbium abiit, quod alias gemmas quoad hoc etiam superet, illasque scindat potius, quam scindatur ab iisdem: quam quod notat ipsa verbi originatio. Est enim adamas idem quod indomitus; nihil vero indomitum reuera est, quod destruitur ab igne, cuius imperium & destructionem aureum hunc ramum eludere manifesto sic infert. Quibus probe pensitatis, fallor? an omnia facilius clarere possunt, tum apud Philosophum, tum, ad quem reuertimur, Poetarum Principem; quo cum apprime & intime conuenit, vt velut digito hic locus Platonicus intendatur, nec ouum ouo tam sit simile, quam vterque collatus.

Manifesta est confessio ipsius scriptoris, si enim mythologice est intelligendus locus, quod mirum est interpretem detorsisse, non assecutum mentem diuini *Platonis*, non adamas erit reputandus ramus aureus adeo decantatus, sed aliud quid.

Cum ergo hunc eundem ramum *Virgilius* intelligere & respicere videatur, vix hæc arcana penetrare possumus, quam adscitis in subsidium & consultis Philosophis mysticis laudatis, Chimicis puta, qui, fatente *Espagneto arcan. hermet. §. 15. p. 9*, in nul-

lo tam acriter contendunt, quam in celando ramo ipsorum aureo, seu mercurio Philosophorum.

Triplici potissimum lemmate mentem suam elocuti sunt iidem, ad Lapidis sui seu tincturæ auri illustrationem. Primum est terræ aptæ & seminum, inquirendam esse terram virgineam, cui concreditum semen auri fœturam concipere queat. Non enim omnis fert omnia tellus.

Alterum est maris & fœminæ, quod *Hermetis* descriptio ipsa innuit in *Tabula smaragdina*, pater eius, inquientis, est sol, mater est luna, philosophica nimirum, quæ concipiat, facta debita coniunctione, seu coniugio, nouum hunc expetitum fœtum: quod coincidit cum recepto Chimicorum, hinc & aliorum, canone, fieri & componi quoque hinc metalla ex sulphure & mercurio, illo maris, hoc fœmellæ partes sustinente, non excluso sale vtrisque obstetricante.

Tertium est ab insitione petitum, idque longe elegantissimum, quando ramus arboris eligitur, cui germen seu tradux nobilior inseritur, vt prior illa syluestris & minoris vsus sic fœcundetur nouo hospite, vt desideratos fructus eosq; plurimos ferat ac largiatur. Et hoc inuenimus nostro hoc loco & scopo longe accommodatissimum. Et sæpe alterius ramos impune videmus vertere in alterius, *l.2. Georg. p. m. 50. v. 7.*

Quartum enim, vt hoc obiter addamus, a tinctura petitum, si quidem a corpore auri omnino separata alibi inferri debeat, minus est hoc sensu ad palatum Philosophorum, quamuis altero illo genuino ipsius tincturæ diffusio huc merito applicetur, & omnem absoluat paginam.

Videamus hinc rami huius aurei originem: quorsum multum conferet, si ex *Theophrasto l.1. Hist. Plant. c.2. n.3.* huc referamus partes primas, maximas & communes plantarum, quæ sunt quatuor: *ῥίζα, καυλὸς, ἀκρέμων, κλάδος, radix, caulis, ramus, surculus.* Hic vero duæ saltim supponuntur, radix & caulis, duæ in censum veniunt, ramus & surculus. Ramus hic est arboris opacæ, isque aureus & diues; omnis nempe ramus supponit arborem, omnis arbor radicem & caulem. *Ἀκρέμονας δὲ τοὺς ἀπὸ τούτων σχιζομένους ἔνιοι καλοῦσιν ὄζους, ramos, qui a caule fissi multiplices sparguntur, nonnulli nodos appellant.*

Metaphorice vero per arborem intelligit metallum, quod in

ſuo genere & ſpecie in ſubterraneo regno vegetatur & producitur. Notat vero ὄζος ſeorſim etiam ocellum in ramo, quorum quidam ſunt cœci, etiam Græca cum Germanis communi nuncupatione, ſeu ſteriles, quidam fertiles, qui florem & fructum condunt & ſpondent, tepore ſolis euocandum expandendumque.

Locus aſſignatur lucus, nemus magnum & loca montoſa, obſcuræ conuallium vmbræ. Hæc vero patria eſt, ſeu natale ſolum, vbi mineræ, & aliæ effodiuntur opes irritamenta malorum, loca plana montibus & nemoribus obſita, metallorum feracia, vt ſtatim præſto ſint, ſingulari diuini numinis prouidentia, ligna & carbones ad vrenda, fundenda, depuranda, probanda & apparanda ſic metalla neceſſaria.

Nec modus reticetur notabilis inueniendi arborem ramo hoc diuite conſtantem, per geminas columbas. Columbas Dianæ ſeu lunæ philoſophicæ vocant alii. Alii curatius Dianæ inſignia & Veneris columbas, quam ipſam hic expreſſe nominat, dum maternas, id eſt, Veneris aues dicit.

Hic vero notandum eſt, antiquiſſima illa eſſe ſigna Planetarum. Eſt nobis nummus Claudii Imp. isque genuinus, ſi quis alius, vbi ſignum ☿ii tam eleganter expreſſum & excuſum eſt, vt vel hodierno die non poſſet melius exprimi vel pingi. Hæc ipſa dum diximus, memorauimus vna geminas columbas, ductrices ad arcanum auri ramum.

Geminæ hæ columbæ gemina ſuper arbore ſidunt, egregia allegoriæ continuatione. Enimuero ad omnem inſitionem, ἐγκέντρισιν vel inoculationem requiruntur duæ arbores, vna quæ ramum porrigit, reſecandum, vt recipiat ſtolonem, oculum, ſeu germen aliud arboris magis fructiferæ, & ſuum faciat, quæ paſſiue ſe habet; altera quæ in nouam poſſeſſionem venit, traducitur, & ſic noua brachia, ramosq; parturit, ille ἀκρέμων vel ὄζος, hic κλάδος proprie audit, quamuis ὄζος revera vtrumque notet.

Præcipuum inter hæc eſt multiplicatio, quandoquidem auri aura, & ſpecies auri frondentis ſubinde multiplicatur, & *primo auulſo non deficit alter aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.*

Et ſane eſſe hanc *Poetæ* mentem, vt indigitet allegoriam laudatam inſitionis, aliud ſuperaddit exemplum viſci creſcentis in arbore, quercu v.g. vel ilice, *quod non ſua ſeminat arbos.* Occurrit vero ſic dubio in applicatione conſurgenti. Alia res eſt in arbori-

bus,

bus,alia longe,dixerit aliquis, in metallis, differt metallum a metallo,non ita pyrus a pyro, malus a malo, & sic porro.

Respondet,reperiri etiam plane afymbolicum germen,idque discolor, specie ipsa differens,& tamen in arbore mollitiem suam stabiliens, vt adeo & analogia insitionis, & plane alienæ visæ visci generationis optime huc quadret.

Si velimus fateri quod res est, longe optima hæc est significatio ænigmatis,conformis Platoni,congrua scriptis Philosophorum non minus ac experimentis,adeoq; ipsi cumprimis rei. Esse metallum, quod e particulis densioribus durissimum, saltim respectiue,& nigricantibus quoq; coalitum est,a qua nigredine intrinseca, & facile expandenda vt ad oculum pateat, antimonium audit, & apparatum decenter agrum sationis aurificæ, vterum concipere aptum, vel ramum traducem saltim constituere.

Ast,ne quis putet,sic prodi rem totam, prostitui arcana,& vilescere artem, per tot secula clam habitam, visendæ sunt quoque conditiones ab ipsomet interprete Sibyllini oraculi propositæ, e-æque geminæ, Christianum in morem facile applicandæ. Vna in precibus consistit, altera in numinis gratia. Æneas, *inquit*, aspectans syluam immensam, mineralium, metallorum & germinum subterraneorum, sic ore precatur: *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat nemore in tanto!*

Hinc ipsa oraculi verba idem innuunt: *Si Te fata vocant, aliter non viribus vllis vincere, nec duro poteris conuellere ferro*; nec opus nec laborem hunc subire posse,nisi paucos,*quos æquus amauit Iupiter.*

Vtut vero sint, qui non intellexisse *Virgilium*, quæ cecinerit, statuant, nihil tamen hoc moratur rei veritatem. Quemadmodum enim nil vetat, ridentem dicere verum: ita nec ignorantem. Seu quod eodem potius recidit, minimum concedendum fuerit, non confinxisse hæc vatem ex ingenio, sed vel ab aliis acceptum, assertum & descriptum suum fecisse, carminibus expressum, vel cognitionem experimentis firmatam obtinuisse. Sufficit quadrare hæc omnia assertis Philosophorum.

Omittimus dicere de diuitiis Virgilii. Enimuero vt superauit omnes reliquos ingenio; ita non minus opibus, siue munificentia Augusti Imperatoris, siue aliunde illas acquisiuerit, cum moriens centies Sestertium reliquerit, hoc est, ducenta quinquaginta aureorum millia, quo de legi meretur *Taubmannus in Culice fol.33.*

Sed operæ pretium eſt, audire etiam alios, de hoc loco & de re ipſa philoſophantes. Sane, vt plerisq; qui oppugnare artem & refutare ſatagunt, contigiſſe videas, vt dum contemnere & ad orcum detrudere allaborant, hoc ipſum tamen dum agunt, velut conuicti afferant, quod deſtruunt; ita & idem exemplo ſuo confirmat *Baco de Verulamio*.

Hic enim cum *l. de ſapientia Veterum c.29. p.m. 1288.* ſcripſiſſet, per Proſerpinam antiquos ſignificaſſe ſpiritum illum æthereum, qui ſub terra, (per Plutonem repræſentata) clauditur, & detinetur a ſuperiore globo diuulſus, paulo poſt ita infit: De virga autem illa aurea, vix videmur ſuſtinere poſſe impetum Chymiſtarum, ſi in nos hac ex parte irruant, cum illi ab eodem lapide ſuo, & auri montes, & reſtitutionem ac conſeruationem corporum naturalium veluti a Portis inferorum promittant.

Poſterius vero vt ſuum facit, & de hoc loco Poetæ aſſerit idem innui, ita de priori, de chimia & lapidis illius procis addit: Certo ſcimus, Theoricam eorum eſſe ſine fundamento, ſuſpicamur etiam, Practicam eſſe ſine certo pignore.

Non poſſumus, quin ipſum committamus cum ſe ipſo virum ſummum, quandoquidem alibi, *Cent. 4. Sylv. Syluar. f. 822. ſ.* cum curioſe admodum & ſapienter experimentum ſpectans confectionem auri propoſuiſſet, ſpem illam vanam non eſſe, nec humanæ facultatis anguſtias excedere ſtatuit, & axiomatibus de eo aliquot eximiis poſitis addit: Principia hæc certiſſima & veriſſima ſunt, pluribus ibidem legendus. Quod vero ex ☽, ☿ & ⊕ fabricam illam ſtruit, vix concedent Philoſophorum filii, cum nec materia, nec pondus, nec alia videantur reſpondere.

Vtque ipſa quoque leuiori brachio fundamenta artis delibemus, non tam illa quærenda ſunt in eo, quod natura intendat omnium metallorum in aurum conuerſionem, vt nec omnium animalium in hominem, omnium plantarum vel arborum in vitem, nec alia æque vana, ſed ſublimiora longe alia, v.g. omnia metalla conſtare ex mercurio diuerſimode coagulato, diuerſis gradibus, puritate, fixitate, maturatione ſulphuris; eſſe ſuum & metallis ſemen & fermentum, eaq; magis materialia; volatile fixum, fixum volatile reddi poſſe, immaturum maturari; ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζειν, *ſimile ſimili gaudere, Platoni* & aliis pasſim Chimicis Græcis decantatum, & plura alia huius commatis.

Ne

Neque opus eſt iam disquirere, an adamantis loco andradamas intelligendus veniat, quo nomine arſenicum vocare Democriticos Chimiſtas ſcribit *Hermolaus Barbarus.*

Sufficit, nullam aliam hypotheſin hac ipſa melius aureo huic ramo applicari poſſe, quam vt arbori ſylueſtri, indigeſto, immaturoq; reſpectiue ſucco præditæ, inſertus ramus adoleſcit, & vegetatur, vnde ipſi accedit quaſi maturitas, vt videatur & habeatur genuina parens, radice immatura, & ſua natura id non datura: ita immaturo metallico corpori, certa proportione & artificio, naturæ conformi, maturum & fixum, ſeminali fermento apparato, accedente ignis miniſterio, poſſe fœnerari ſuam tincturam, characterem & fixitatem. Q. E D.

Hæc præfari voluimus occaſione DISPVTATIONIS INAVGVRALIS, DE LOCHIORVM FLVXV NIMIO, Clariſſimi & pereximii Medicæ artis Candidati,

WILHELMI CHRISTOPHORI PAVLI PEZII,

MARCOBRETTANI.

Natus is eſt Marcobrettæ Francorum, anno æræ Chriſtianæ MDCLXXIV. educatus vero Neuſtadii ad Ayſcham, Parente Nobiliſſimo, Ampliſſimo & Excellentiſſimo, GEORGIO SIGISMUNDO PEZ, Medicinæ Doctore, & Archiatro Sereniſſimi Principis ac Domini, Marchionis Brandenburgenſis, in aula Biruthina celeberrimo; Matre CLARA, nata PÜLERINA.

Hi omnem adhibuere curam, vt in pietate, bonis moribus & literis inſtrueretur, quod matre immaturis fatis functa optimus parens proſecutus eſt inprimis.

A teneris ita formatus intra patrios primum lares, hinc Gymnaſio illuſtri, quod eſt Heilsbrunnæ, commiſſus per octennium, præceptoribus fideliſſimis & præclariſſimis vſus eſt, IOHANNE GEMEINHARDO, hinc M. IOHANNE STÜBNERO, Rectore, & IOHANNE NICOLAO SCHULINO, Con-Rectore, longe meritiſſimis, quorum ſedulitate & dexteritate non ſolum fundamentis Chriſtianæ religionis, ſed etiam bonarum artium, Latinæ & Græcæ linguæ, diſciplinarumque Philoſophicarum imbutus fuit.

Hinc, iuſſu venerandi Parentis, in Academiam inclutam Altorffinam conceſſit, Ann. M DC XCV. vbi cordi habuit, vt in Philoſophicis iuxta ac Medicis ſcholis profectus ſibi fœneraret, ſub manuductione Excellentiſſimorum & celeberrimorum Profeſſorum, in

ora-

oratoriis MAGNO DANIELE OMEISIO, in phyfica theoretica & experimentali IOHANNE CHRISTOPHORO STURMIO, in medicis vero omnium & fingulorum Doctorum.

Seorfim veneratus D. MAURITIVM HOFFMANNUM, Patrem, piæ memoriæ, & D. IOHANNEM MAURITIUM HOFFMANNUM, filium, illius fub aufpiciis frequentauit prælectiones Inftitutionum Medicarum & Botanicas, nec non Practicas de morbis mulierum, & Exercitium Difputatorium, eiusdemque fub præfidio Difputationem publice ventilauit de SPIRITVVM ANIMALIVM ELABORATIONE; Huius fub ductu Phyfiologicas, Anatomicas & Chimicas ἀκροάσεις celebrauit: In Pathologicis vero fectatus eft D. IOHANNEM PANCRATIVM BRVNONEM.

His intra biennium abfolutis, ad noftram Salanam M DC XCVII. Calendis Augufti ablegatus, Nobiliffimorum & celeberrimorum Medicorum informationem impetrauit, publicam & priuatam.

Præcipue deprædicat Lectiones D. IOHANNIS HADRIANI SCHLEVOGTII, Hæreditarii in Ober-Rosla, Anatom. Chirurg. & Botan. Profefforis, & Medici Prouincialis, in botanicis, aliisq;, & profectiones cadauerum dexterrimas, quibus affiduus comes adftitit: vt & Lectiones priuatas D. RVDOLFFI WILHELMI CRAVSII, Hæreditarii in Mellingen, Prax. & Chim. Profefforis, Facultatis Medicæ Senioris venerandi. Noftris quoque prælectionibus priuatis de morbis externis interfuit.

His ftudiis probe innutrito obtigit benignus fauor Numinis, vt ad Phyficatum Schwarzenbergenfem gratiofe vocaretur. Hunc vt debito charactere non minus, ac meritis ornaret, iuffus a Nobiliffimo parente capeffere fupremos in Medicina honores, adiit Gratiofam Facultatem, & probatis in confuetis Examinibus profectibus ad Cathedram publicam admiffus, habebit A. D. IV. Ianuar. laudatam, fub præfidio SCHLEVOGTIANO, Difputationem folennem.

Huic panegyri vt Magnificus Academiæ Rector, illuftriffimi Comites, Proceres & Hofpites omnium ordinum nobiliffimi, gratiofa, grauiffima ac beneuola fua præfentia intereffe dignentur, deuote, perofficiofe & peramanter oro atque rogo. P. P. Sub figillo Facultatis. M DCC. Cal. Ianuar.

(L. S.)